



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 164. Herodes autem viso Iesu gausus est valde. v. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

diam omnium maximam mundi; vt in ea suam quoque ageret personam, vti & pessimo fecit exemplo, & suo malo.

**O** Deus conferua me, ne vnquam accedam ad loca etiam sancta nisi sancta & bona intentione, & si in eis prauides me lapsurum: impedit dignate meum in talia accessum.

§. 164. *Herodes autem viso Iesu gausus est valde. v. 8.*

Gausus est, non eo gaudio quo Abraham & reliqui SS. Patriarchæ, qui diem eius videre expecterant: sed curiositate & cupiditate videndi miraculi, quo putabat se à Christo, tanquam circumforaneo mimo, aut circulatorè cohonestandum, vt liber dimitteretur: gaudebat insuper: & eum honorem sibi delatum à Pilato, cum quo dissidebat: sed melius optasset videre Iesum sicut Zachæus.

**O** quam multi similes sunt Herodi! quorum studium non est discere aliquid ad salutem: sed videre & audire multa curiosa. Hi etiam quandoque conciones adeunt: sed vt audiant, non vt animo interant: & proficiant: ex curiositate volunt explorare ingenium & doctrinam, siue eloquentiam concionatoris: cuius forte fama eos ad audiendum allexit. Videant, qui tales sunt, ne & ipsi, vti Herodes, in vanum, imo damnum suum viderint & audierint Christum.

§. 165. *Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum. v. 8.*

Quare? certe non ex deuotione: sed titillatione quadam: nam ipse erat, quem Pater suus Herodes inter pueros in Bethlehem interemptum iuerat, simulans se velle adorare: idem ipse hic erat, qui Ioannem Baptistam, reprehensorem adulteri eius, donauerat occidendum scorti suæ filiz saltatici: erat etiam, cui retulerant sui aulici quod multa faceret miracula, quod nunciura satis nequiter irriserat: erat denique is, de quo Christus dixerat, quod esset *vulpes*. Sciebat igitur nomen Christi, & non pauca de illa: sed, propter grauitatem Regalem, nunquam eum, vt videret: accesserat: quia maiores sæculi non inuisunt eos: quos minores reputant, sed visitari expectant: quod tunc impetrauit Herodes: sed malo suo satis magno.

**D**omine, egote vnice, & cum desiderio filiali desidero videre, hic & perpetuum: hic in ænigmate per fidem, illic in maiestate & gloria facie ad faciem per claritatem. Sicut Domine anima mea ad te Deum meum fontem viuum; quando veniam & apparebo ante faciem tuam? &  
fons